

tur. Generalis enim domini sententia avaritiam in omni homine condemnat, quanto magis in sacerdotibus, his verbis dicens: *Videte*⁶¹ et cavete ab omni avaritia, quia non in abundantia cuiusquam vita eius est ex his quae possidet. Et beatus Paulus in epistola ad Ephesios: *Avarus*⁶² non habet hereditatem in regno Christi et dei. Et iterum: *Avaritia*⁶³ nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos. Et iterum dominus in evangelio ad discipulos ait: *Quam*⁶⁴ difficile, qui pecunias habent, in regnum dei intrabunt! Et post pauca: *Facilius*⁶⁵ est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum dei. Et ne cupiditas locum reperiatur, maxime inter domini sacerdotes excellentiam apostolus verbo repellit inquit: *Qui*⁶⁶ volunt divites fieri, incidunt in tentationem et laqueum diaboli et desideria multa inutilia et nociva, quae mergunt homines in interitum et perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt a fide et inseruerunt se doloribus multis. Tu autem, homo dei, haec fuge. Veruntamen, ut ait Prosper, non videtur apostolus in hoc contrarius prophetae, qui ait: *Initium*⁶⁷ omnis peccati superbia, sed expositor quodammodo: Seu enim *initium*⁶⁸ omnis peccati sive radicem omnium malorum dicas, unum idemque significas, quia cupiditas atque superbia in tantum unum est malum, ut nec superbus sine cupiditate nec sine superbia cupidus possit inveniri. Quo iure, cum in omnibus turpis atque interfectrix videatur cupiditas, in sacerdotibus multis modis turpior est, qui caeteris illam interdicerere debent.

Et ut negligentia tam a sacerdotibus quam et ab omnibus caveatur, apostolus in epistola ad Romanos admonet dicens: *Hora*⁶⁹ est iam nos de somno surgere. Et post pauca: *Abiciamus*⁷⁰ opera tenebrarum et induamur arma lucis. Idem ad Philippenses: *Omnes*⁷¹ enim quae sua sunt quaerunt, non quae Iesu Christi. Et beatus Hieronymus in Michea propheta: *Surge*⁷², inquit, iudicio contende ad montes, et audiant colles vocem tuam. Iubetur surgere, qui vel sedet

⁶¹) Luc. 12, 15.

⁶²) Eph. 5, 5.

⁶³) Eph. 5, 3.

⁶⁴) Luc. 18, 24.

⁶⁵) Luc. 18, 25.

⁶⁶) 1. Tim. 6, 9–11.

⁶⁷) Eccli. 10, 15.

⁶⁸) Julianus Pomerius (Ps. Prosper), De vita contemplativa 3, 4 (Migne, PL 59 Sp. 479B).

⁶⁹) Rom. 13, 11.

⁷⁰) Rom. 13, 12.

⁷¹) Phil. 2, 21.

⁷²) Hieronymus, In Michaeam 6, 1–2 (CC 76/1 S. 493 Z. 27–32).